

cidente: accidit enim, ut ea, quae agunt, vel iusta sint, vel iniusta. At iuste vel iniuste factum spontaneo & invito definitur. Cum enim spontaneum fuerit, vituperatur, tuncque etiam est iniuste factum. Quare fit, ut iniustum quidem esse quippiam possit, quod tamen nondum iniuste factum sit, nisi etiam adfuerit, ut sponte factum sit. His perceptis nemo non videt, eum qui iniustum, sed non iniuste agit, Status corrupti civem esse.

§. 9. Status h. l. significat certam qualitatem existentiae hominis, prout ea vel recte vel male tam in naturalibus, quam moralibus se habet.

§. 10. Hinc quod ad praesens, dividimus cum *Thomasio Nostro Tab. XXXIII. Phil. Pract.* Statum in naturalem & legalem. Naturale vero hic non accipitur pro essentiali constitutivo, quod sensu rationalitas homini est naturalis; nec pro essentiali consecutivo, quem in modum risibilitas eidem naturalis esse dicitur; sed pro naturali effectu, quia qualitas illa existentiae hominis, quae status naturalis dicitur, pependit à Natura, & quidem recta. Hanc rectitudinem postquam excidimus, non potuit non succedere qualitas contraria; male se habens, quae per leges, sicut aegrotus per Medicinam, corrigenda est. Hinc Status alter dicitur legalis.

§. 11. Naturalis vocatur aliàs rectus, item integritatis: Legalis, corruptus & aberrans.

§. 12. Ante lapsum quidem unicus tantum erat Status, integritatis videlicet, & in hoc primus homo constitutus, siquidem imago Dei in homine, fuit excellenter conformis Deo *πρωτότυπω*.

§. 13. Hæc autem conformitas fuit duplex, primaria nempe ac principalis, & secundaria sive minus principalis.

§. 14. Principalis sita fuit in anima & partim quidem in intellectu, partim in adpetitu.

§. 15. In intellectu, perfecta voluntatis divinae notitia, summaque rerum omnium scientia; & hac in parte homo conformis fuit sapientiae Dei.

§. 16. Quoad adpetitum, in rationali sive voluntate erat tum naturalis ad bonum propensio, tum voliti libera & expedita executio: istò Dei sanctitas, hoc illius libertas representabatur. In adpetitu sensitivo erat conformitas tum cupiditatum, tum adfectuum cum recta ratione, quibus *αυταίρεσια*, castitas, puritas & integritas figurabatur.

§. 17. Mi-